

1598

in aliis pro patria actionibus laudem corrupisse visus est. Idem Milanius, Bergomi Antistes, Theatini ordinis, Venetus civis, alioqui patriæ studiosissimus, urgentibus pontificiis mandatis, censorarumque minis territus, facturus videbatur, nisi ejus rei statim Bergomi magistratus Senatum certiorem fecisset; licet quæ postea accidere, omnem ulterius ea in re tendendi occasionem abstulerint.

Pontifex interea anathematis spiculo arma quoque jungebat. Aldobrandinus nepos quamcelerrime Ferrariam versus motrus, copias cogit, haud exigua spe, ambiguis suspensisque Principum animis, nec dum Philippi mente cognita, terrifico execrationis fulmine, repentino armorum strepitu plebem concitatum iri; nisi Ferrariam Cæsar relinquat, concordia omnes conditiones abnuere statuens: quod Rupertus Lius, Senatus ab arcanis scriba, officii causa ad eum missus, Patribus significabat; affirmare nempe Aldobrandinum, aliud consilium se patruo nunquam daturum, se Cardinaliciam dignitatem, vitam quoque ipsam potius effusurum. Per eosdem

*Rubertus  
Lius a Ve-  
netis ad  
Aldobran-  
dinū Card.  
missus.*

*Jacobus  
Mazzo-  
ninus, Car-  
dinalis Al-  
dobrandini  
nuntius ad  
Venetos.*

dies Jacobus Mazzonius, elegantis ingenii, atque haud vulgaris doctrinæ vir, ab eo Venetas missus, Senati gratiis actis, egregium Cardinalis in Rempublicam animum oratione accurata patefacit. Inde, quæ passim sermonibus dissipentur, Ferraria Pontificem potiri, Patribus acerbum esse, occulta auxilia Estensi suppeditari, quam molesta Cardinali sint, exponit; quæ cum a Veneta generositate atque amplitudine aliena valde existimet, ut re ipsa ejusmodi inventa refellant, quam inania falsaque sint, aperte Patres significant, efflagitat. Mazzonio Senatu consulto responsum: Cardinali gratiæ actæ, publica benevolentia testata, cuncta felicia prosperaque Clementi exoptata, Italiae quietis ac tranquillitatis studium expositum. Ceterum cuncta in dies magis incerta ac difficilia Cæsari erant, dejectæ suorum mentes, ejus militiæ plerique ægre accedere, alii dilabi; nutantem fortunam nemo vel auctoritate vel vi fistere; pecunia in belli sumptus deficere; ex Principibus nemo palam favere; consultores perterriti, ancipites, non omnes sinceræ fidei. Ipse vero magnis tractandis rebus nondum assuetus, ea tempestate clavum tenebat, quo & ingenti animi vigore, & obstinata ad

omnes